




JUS NATURÆ SOCIALE.



CAPUT I.

*Societatis, Jurisque socialis Notio
ac Distributio.*

§. I.

Societatis Ratio & Effectus.

Providum naturæ auctorem titulis haud paucis hominem devinxisse cum hominibus aliis, communi videlicet origine, similitudine facultatum, mediis ad colendam societatem adcommodatis &c., observavimus in *jure naturæ privato*, §. VI. pag. 22. Hæc *primigenia* igitur societas larissimè patens, fundamentum est societatum reliquarum; quarum quælibet est status *adventitius*, certâ nimirum ratione acquisitus, sociisque superadditus. Jura igitur societatum harum & obligationes sunt *hypotheticæ*. Sic prima ipsa *simplicissima* societas conjugalis Adami &



Evæ fuit adventitia. Natis exposit liberis societas oriebatur quodammodo composita, societati nimirum conjugali superaddebatur parentalis: & temporis tractu societates tum minores, tum majores varii generis & ordinis legimus introductas.

Societas est conjunctio plurium in ordine ad finem communem mediis adtemperatis, viribusque coadunatis obtinendum. Confititur, tria potissimum in societate esse spectanda; videlicet *finem*, eumque honestum & bonum; *unionem voluntatum* ad finem hunc tendentium: & *coadunationem virium*, seu mutuum adjutorium. — Cum itaque objectum & finis societatis cujuscunque honestus debeat esse & licitus; hinc societas quæcunque hoc defectu laborans, non nisi ineptè societatis nomine gaudet, nec jus ullum parit, aut obligationem ullam; societates enim sunt pacta: atverò pacta circa res illicitas & juri naturæ repugnantes nulla esse advertimus in prioribus sæpe. Unde etiam in jure notatur: „Si maleficii societas coita est, constat, nullam esse societatem.“ *Leg. Nec prætermittendum 57. D. pro socio.* „Quia delictorum turpis atque fœda communio est.“ *Leg. quod autem. § 3.*

Idem esto judicium, eadèmq; conclusio de societatibus, aut potius de conventionibus conventiculisve universis recto fine mediisque legitimis destitutis; id quod meritò de



de conventionibus clanculariis suspicari licet; quas proinde principes pietissimi jure merito, atque in vim officii prohibent, cunctique imperantes vetare deberent. — Cum porro ex fine judicandum sit de mediis; hinc jura sociorum & officia ex ipso societatis fine merito aestimantur. Insuper, cum quælibet societas ad certum finem tendat, fines autem diversissimi sint, sequitur, quod si finis justus sit ac licitus, regulariter etiam justa licitæque sit societas: Sin ille injustus & illicitus, hæc quoque injusta semper existat & illicita, imò nulla, nullius proinde efficaciam; ut non solum non stringat socios, sed hi ab ea recedere omnino teneantur, inattenta etiam fide jurato data: Pactum quippe irritum & illicitum juramento firmari nequit; imò in virtutem religionis graviter impingit, qui tale juramentum aut defert, aut præstat.

Bonum commune, sive felicitas publica consociatorum eatenus porro spectanda venit, quatenus felicitas ista à membris societatis non abstracta, sed iis potius concreta est; ita etiam, ut non aliqua duntaxat, sed universa societatis membra adficiat; secus enim non commune, sed præcipuè privatum bonum in non leve societatis detrimentum quæreretur ac promoveretur, idquod à societatis scopo penitus alienum est. Eâ igitur ratione sectanda hæc felicitas, ut & singulis membris, & societati toti sit consultum, debitæque provisum.



Quatuor in Societate considerantur; videlicet 1. *Politia societatis*; 2. *Negotia socialia*; 3. *Societatis salus*; 4. *Bonum publicum sive commune societatis*.

Finis nempe communis, quem prosequuntur singuli, etsi per actiones sæpe diversas, necessariò exigit debitum ordinem tam agentium, quàm actionum, quo videlicet ordinandum est, quid, quantum, quo modo agat quisque, aut non agat, ne alii in promovenda societatis felicitate impediantur; atque hic legitimus ordo vocatur *Politia Societatis*. — Actiones, quas ponunt societatis membra tanquam media apta ad consecutionem finis præstituri, sunt *socialia negotia*. — Progressus non impeditus ad finem per ejusmodi media obtinendum, *Societatis salus* audit. — Illud denique, quod per actiones istas quæritur & obtinetur tanquam finis intentus, *bonum commune seu publicum* nuncupatur.

Quisquis rectum societatis sive sacrae, sive profanae turbat ordinem, is & negotia socialia confundere, societatis salutem evertere, ac bonum commune societatis pessundare convincitur, ac sibi potius commodoque proprio, quàm bono publico, non sine gravi societatis injuria, prospicere omnino putandus est.



7

§. II.

Societatis Distributio.

In humana societate obtinere jura tum *perfecta*, tum *imperfecta*, atque obligationes respectivè similes, dilucidavimus *cap. II. § V. Jur. Nat. priv.* — Enascitur inde Distinctio inter Societatem *naturalem* & *hypotheticam*; cum enim inter eos, qui naturæ sortiuntur æqualitatem, attento statu naturali seu primigenio, suas quilibet pro arbitrio valeat determinare actiones eatenus, ut ab alio ad agendum tali, vel tali modo compelli nequeat, consequens est, quòd societas primigenia sive naturalis quoad hoc per se loquendo ultra jura & obligationes imperfectas non adsurgat. Naturalis tamen & *universalis* ista societas, seu fundamentum societatum hypotheticarum & *particularium* multiplicem hominibus subministravit rationem insuper adventitias sive hypotheticas ineundi societates, atque per has arctius sese adstringendi, ita nimirum, ut ex his jura nascerentur perfecta, perfectæque obligationes: ut proinde id, quòd in societate naturali adhuc erat libertatis, in societate hypothetica sit necessitatis ob pactum tacitum vel explicitum statui naturali superadditum, aut superadditam legem divinam positivam aut humanam. — Alia porro societas hujus generis est *sacra*, alia



alia *civilis* aut *profana*, videlicet pro ratione subjectorum, objectorum & finium concernentium.

Quantumvis autem societates hypotheticæ passim sint particulares, ipsa tamen societas sacra & legalis, quæ catholicam constituit ecclesiam, quæque ex missione, institutione & lege Domini nostri *Jesu Christi* in mundum universum introducta, & usque ad consummationem sæculi est conservanda, cuique societati per se loquendo quilibet accedere tenetur, hæc inquam, societas *universalis* rectè nuncupatur. Id quod ipsemet haud diffitetur *Puffendorfius* dicens: „ Inter sacras societates alias possumus vocare *generales*, ut est *Ecclesia catholica*. “ *J. N. & G. Lib. 1. Cap. 1. §. 13.*

Societas insuper est aut *simplex*, veluti societas conjugalis, aut *composita*, uti societas conjugalis simul & parentalis. Compositæ societatis *gradus* sunt vel *minores*, ut in exemplo mox adlato, vel *maiores*, dum plures societates minores, ceu totidem personæ morales, coeunt in societatem unam majorem é minoribus mixtam: sic ex familiis constituuntur pagi & urbes; ex pagis & urbibus provinciæ, ex provinciis regna conflantur. Quodsi plures Republicæ aut plura regna confociantur in unum statum systematicum, societas *maxima* oritur. — Quoad præsens institutum nostrum, quod *minores* res-



respicit ponderatque *societates*, speciatim ver-
samur circa societatem *conjugalem*, *parentalem*,
berilem, & *familiae*, eam nempe, quæ aut ex
duabus, aut omnino ex tribus societatibus
jam memoratis coalescit: ubi tamen præviè
societatis *æqualitatem* vel *inequalitatem* cum
concernentibus adfectionibus expendimus.

§. III.

De Societate æquali & inæquali.

Constitui potest societas vel sine subordi-
natione membrorum concernentium, id est,
absque imperio ex una, & *absque subjectione* ex
altera confociatorum parte; & hæc societa-
ris forma nuncupatur *æqualis*. — Quodsi so-
cietas eâ ratione formetur, ut debita & stric-
ta membrorum subordinatio & *subjectio ad*
caput imperio regendique facultate præditum ha-
beat locum, erit societas *inæqualis*. — Jus
igitur societatis æqualis non aliud est, quàm
æquatorium; atverò jus societatis inæqualis
propriè *rectorium* est.

In vim juris hujus rectorii, seu *imperii so-*
cialis actiones eorum, qui societatem consti-
tuunt, recta ratione dirigendæ sunt atque
determinandæ ad finem societati præstitutum,
ita nimirum, ut proposita obtineatur felici-
tas. — Imperium porro istud, per quod So-
cietas rite gubernatur, vocari adsolet *potestas*



socialis; & potestatis hujus adplicatio sive usus *societatis regimen* audit. — Potestas ista rectoria societatis aut *summa* esse potest sive independens, aut *subordinata* alteri, proinde dependens.

In societate *inæquali* rectè ordinata, sive sacra, sive civili tres potissimum species potestatis vigere necessum est: requiritur nempe *primò* potestas *legislativa*, vi cujus societatis hujus capiti competit auctoritas ferendi leges societatis ejusdemque membrorum felicitatem stabilientes atque promoventes. Leges istæ ut genuinam societati & subditis pariant felicitatem, nulli alteri legi sublimiori debent opponi, toti societati debent esse accommodatæ & undique rectæ, debent esse validæ satis & efficaces in ordine ad propositum finem legitime obrinendum. — *Secundo* requiritur potestas *inspectoria*, in cujus consequentiam invigilandum est atque examinandum, an & qua ratione leges observentur, atque vel in bonum societatis debitè ad effectum deducantur, vel in ejus detrimentum negligantur, aut vilipendantur. — Requiritur *tertio* Potestas *executoria*, vi cujus omnino conandum, ut quilibet sociorum contineatur in officio, omnesque competentibus mediis ad legum observantiam compellantur, & à prævaricationibus coerceantur.

In societate *æquali*, sive in collegio, cujus proinde & jura *collegialia* sunt, quæque in



corpus coalescit, si è pluribus formeretur collegiis, ratio *directionis* locum duntaxat obtinet, videlicet jus competentem inter societatis membra ordinem conservandi, ac societatis negotia rectè determinandi. Opportunum est itaque, ut inter socios sit unus, qui collegas convocet, negotia proponat, conclusa ad executionem promoveat, aliaque expediat eâ ratione, ut proprium tamen haud interveniat imperium.

Convocationem igitur membrorum societatis *æqualis* sequitur eorum congregatio sive conventus, ubi per consensum collegarum enascuntur stabiliunturque *conclusa*. Consensus iste in conclusa societati utilia vel necessaria ad sufficientiam declarari debet. Porro conclusa, per quæ societatis hujus negotia deciduntur, fiunt per *vota* vel *suffragia*. — Est autem *votum* declaratio voluntatis à socio facta societati de eo, quod juxta iudicium suum communi consensu definiendum esset. — Vota sunt vel *unanimitia* vel *diversa*; vel *canonica*, vel *majora*, vel *minora*, vel *paria*; item *saniora*, *decisiva*, *consultativa*, *affirmativa*, vel *negativa*.

Quando & quomodo ex collatione votorum rectè *concludendum*, sequentes passim admittæ tradunt regulæ.

Vota *unanimitia* (singulorum nempe consensus in idem) concludunt *semper*, *paria* verò
re-



regulariter nunquam. Quodsi tamen numero paria, imparia sint ratione & pondere, *saniora*, quâ talia evicta, locum quandoque obtinere possunt: veruntamen generaliter vota numeranda sunt, non ponderanda; quilibet enim suum iudicium pro saniore habet & meliore. — Si porro in antecessum fuerit conventum, ut casu, quo emergerent paria, vincat votum unius personæ determinatæ, id est, ut hæc pro & ex parte sua tollat æquilibrium, paria quidem numero, ad unam tamen unius partis personam restricta concludunt, & sic, veluti inquirunt, obtinet *Calculus Minervæ*.

Cæterum, quia hominum variant Sententiæ, in consensibus majoribus rarius universi in idem conspirant; & hinc omnino necessum, ut ad legitima conclusa sufficiat certa pars suffragiorum; ne fructus speratus finisque intentus aut omnino frustretur, aut saltem quasi in infinitum prorogetur.

Per se loquendo, solique insistendo rationi *vota majora* rectè sunt conclusiva, partisque minoris ad se adtractiva: proinde ad sensus partis absolutè majoris regulariter profacto omnium haberi debet, ne cum detrimento societatis, bonique communis, aut nihil in plerisque negotiis decidatur, aut *placita pauciorum* prævaleant *plurium majorumque* legitimæ determinationi.

Quod-



Quodsi vota ordinentur ad electionem canonicam, simpliciter majora non sufficiunt, sed requiruntur *canonica*, id est, saltem *unum* supra medietatem suffragantium. — Insuper in electionibus nonnullis requiruntur partes *duæ tertiæ*; uti in electione summi pontificis, ubi requiruntur *secreta* schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi clauso præsentium. Item ad legitimam electionem abbatissæ necessarias esse duas tertias, statuitur *cap. indemnitatibus 43. §. I. De elect. in VI.*

Ad Societatem *inæqualem* quod insuper adinet, variæ sunt variarum societatum leges fundamentales, finesque diversi: unde fit, quod & distinctæ societatum formæ, atque diversa imperantium & subditorum jura & obligationes enascantur. Legum fundamentalium ex utraque parte fides sancta debet esse & inviolata; quin fas sit alterutri parti easdem infringere, aut sub quovis prætextu inutiles reddere & inefficaces.

Igitur à diversitate legum fundamentalium varia regiminis distinctio pendet atque divisio. Aliud nempe est *absolutum*, quod simpliciter à sola natura finæque societatis, sine ulteriore restrictione pendet; aliud *limitatum*, quod jura reipsa quidem complectitur, at tamen quoad usum & exercitium jurium illorum restrictum est ob superaddita pacta. Quare etiam imperium illud dicitur *plenum*, quod



quod nulla jurium aut potestatis parte diminutum est; *minus plenum* verò, si tali sit ratione restrictum. — Addunt imperium *despoticum*, vi cujus imperans plenum Jus haberet tum in omnes permissas licitasque subditorum *actiones*, tum in *res* eorundem singulas. Utrum hoc ex indole sua societatis felicitatem promoveat, adeoque humanitati per singula congruat, é generalibus peculiaribusque nostris juris naturæ principiis facile conficitur.

Imperium aliud, ab hoc contradistinctum, *temperatum* vocatur, aut, veluti communius audit, *eminens* sive altum: cujus occasione Riegger in *systemate jurisprud. natural. cap. III. §. 6.* ita concludit: „ Per me appellare licet hoc civitatum jus, imperium vel dominium altum & eminent. Verborum sonus me non terret, modò illi, qui vel imperio, vel dominio eminente uti volunt, sibi persuasum habeant, ut habere debent, nec uni, nec alteri locum esse, nisi boni communis causâ. “ — Distinguendum est etiam vel maximè jus *eminens* sive supremæ jurisdictionis, à jure *proprietas*. — Porro dicit Zallinger: „ Imperans non plus juris acquirit, quàm in ipsum translatum est; neque verò necessitas boni communis obtendi potest, quia id non quovis gradu, sed eo duntaxat, quem *leges fundamentales* determinant, vel permittunt, procurandum vel obtinendum est. “ *Jur social. Cap. I.*

§. CLXXI. Deni-



Denique potestati imperantis correlative respondet obligatio parendi ex parte subditorum, ne secus inutile sit imperium, & ideo cessat libertas naturalis quoad actiones præcise illas, in quas imperanti quâ tali jus comperit, qui proin leges ferre potest, easque sanctione pœnali munire.

CAPUT II.

De Societate conjugali.

§. I.

Societatis conjugalis Notio.

Societas conjugalis sive *matrimonium* spectatur penes ipsas *naturæ* leges, quatenus nempe est stabile vinculum duorum sexu diversorum hominum ad propagandam speciem humanam finesque concernentes alios, est conjunctio inira à personis distincti Sexûs, habilibus ad prolem suscipiendam, debitèque educandam. Itaque matrimonii *finis* potissimum duplex est: *Prolis susceptio*, & ejusdem *educatio*. Sanè, satius foret non suscipere proles, quam easdem haud educare debere. Haud *debitè* inquam; id est media ad felicitatem sempiternam ab ipsis juris naturæ legibus intentam liberis non parando, superitando, ac realiter impendendo. Cura adhibenda est *singularis*, ut prolibus de felici-



tate provideatur temporali, sed & cura adhibenda *singularissima*, ut æternam, ad quam maximè à summo Numine sunt destinati, felicitatem consequantur. Gravissimæ huic obligationi quicumque desunt parentes, non solum in leges positivas, sed in ipsas quoque leges naturæ impingunt gravissimè, rationem reddituri non exiguam. — Amor prolium *rectè ordinatus* esse debet: verùm quis *rectè ordinatum* dixerit eum; vi cujus felicitas prolium umbratilis & fluxa salutis præfertur æternæ? Vanitas vanitatum, luxuriam cum suis respectivè adpertinentiis, luxuriantia romanensium capita &c. &c. juventuti imprimuntur promiscuè, quin de causa religionis, atque de moribus secundum Deum & conscientiam *rectè instituendis* seriò cogitetur. Cùm igitur educatio debita prolium unus sit é præcipuis conjugalis societatis finibus; hinc finem hunc unà cum requisitis mediis negligentes parentes & sibi & liberis perniciosissimum inferunt damnum atque præjudicium.

Matrimonii finis adhuc alius est communicatio mutui solatii atque subsidii onera matrimonii æqualiter ferendi. — Porro S. Thomas de matrimonio inquit: „ Matrimonium „ institutum fuit in officium naturæ in statu „ innocentiae: deinde illi in statu naturæ corruptæ additum fuit, ut esset in remedium: & tandem in lege nova à Christo Domino institutum fuit in *Sacramentum*. “
In 4. Dist. 26. q. 2.



Individuam societatem conjugalem ineundi obligationem pertinere ad societatis humanæ cumulum, quin ex parte volentium excludatur castus cœlibatus à Christo primum, dein ab ejus apostolo Paulo maximo-pere commendatus, observavimus in Jure priv. cap. II. In fine § I. — Ex quo conficitur, quam ineptum sit ratiocinium eorum, qui ex illo *Gen. 1. 28.* “Crescite & multiplicamini,” præceptum, & quidem præceptum singula adficiens subjecta habilia extendere adlaborant, & tanto quidem conamine & adparatu, quasi aut aliud nullum Dei mandatum nossent, aut saltem aliud nullum gustui eorum tantoperè esset adcommodatum. — Sanè Salvator noster summusque magister, qui non venit solvere legem, sed adimplere, quique *Matth. XIX.* castum cœlibatum mirificè deprædicat atque commendat, hanc, si extitisset ullibi ipsa, legem non ignorasset, aut ei contradicere non voluisset: neque Paulum *I. Cor. VII.* aliter, quàm divino excitatum atque repletum spiritu locutum fuisse in plenum & manifestum casti cœlibatûs favorem inficias ire quis præsumferit. — *Nolite ergo fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Ps. XXXI. 9.* & *Tob. VI. 27.*

Quantumvis denique susceptio prolis generatim loquendo unus sit é principalibus conjugii finibus; adtamen is essentialis non est, neque ex parte singulorum omnino con-



jugum tam necessariò intendendus, ut ex altiore castimonie motivo hinc inde secerni nequeat, sistique in solo mutuo solatio atque subsidio. Genuinæ naturæ leges ipsæ casto hujuscemodi conjugio, in quo vivitur ut frater & soror, haud resistunt, imò id ipsum potius adoptant & comprobant.

§. II.

De indissolubilitate matrimonii.

Ad quæstionem hanc debitè eliminandam, varias matrimonii divisiones præmittimus. — Matrimonium nempe est vel *legitimum*, quod secundum leges naturales ac fortè civiles contrahitur à partibus Sacramento baptismi carentibus, proin ab hominibus extra ecclesiam existentibus. — Vel *ratum*, quod subsistit inter fideles aut baptizatos, antequam consummatum fuerit per actum ad generationem proles habitum. — Vel denique *consummatum*, quod actu jam memorato perfectum est, sive deductum ad usum.

Matrimonium consummatum inter fideles quoad vinculum esse penitus indissolubile pro casu quocunque, exceptà morte com-partis, omnino tenendum est, ipsisque juris naturæ principiis ac finibus consentaneum est maximè. Sanè ex matrimonii hujus quoad vinculum dissolubilitate non levia enascerentur incommoda, quæ utique providus natura



rae auctor pro omni eventu voluisse præcludere omnino censendus est: unde lex positiva divina indissolubilitatem istam innuens *Gen. 2. Matth. 5. & 19. Marc. 10. & 1. Corinth. 7.* Juris naturæ regulas finisque est sectata, ac processit *inhæsiuè*. Profectò, si consideremus ex una parte matrimonii onera, & vitæ societatem prorsus individuum, atque ex altera parte hominum proclivitatem ad libertatem, eorundem levitatem, mutabilitatem & prurium ad diversitatem obsectorum, facile conjiciemus, matrimonii hujus legibus ac finibus sat validè haud provisum esse atque consultum, nisi vinculum isthoc pro eventu quocunque esset simpliciter indissolubile. — Porro haud pauci individuae hujus societatis variis sæpe é capitibus pertæsi titulum quæsituri essent & occasionem jugum istud excutiendi ac dissolvendi, sicque aut ad libertatem revertendi minùs ligatam, aut ad novas magisque adridentes nuptias, non sine gravissimo partis derelictæ, proliumque susceptarum debitéque educandarum detrimento & incommodo, transeundi. — Supponamus, comparitis evictum adulterium vinculi hujus esse dissolutivum: nonne propterea commoveri posset mortalium fragilitas aut malitia, vel se, vel compartem suam in illas conjiciendi circumstantias, ut iis medianribus consequi valeret id, quo non supposito liberari nequiret ab eo, quod non placet amplius, & ad illud devenire, ad quod pleno genio sen-



suumque incitatione totus anhelat? — Hanc
 circa materiam inquit *Zallinger*: “ Conjugii
 “ societas ab ipsa natura est instituta, quæ
 “ non hominum voluntate, sed naturali pa-
 “ riter causa, ceu per mortem unius con-
 “ jugis, dissolvi debet; quemadmodum nec
 “ relatio ac nexus inter parentes ac liberos
 “ ullo istorum consensu dissolvi potest. Si
 “ vinculum matrimonii solvi hominum vo-
 “ luntate potest, nihil à vaga libidine disse-
 “ ret matrimonium; quod enim semel licuit,
 “ iterum licebit ac etiam lubebit; cum ipso
 “ tempore amor tepescat, novarumque nup-
 “ tiarum cupiditas succedat. „ *Lib. II. Jur.*
Soc. §. CLXXIV. — Hæc igitur graviæque
 alia ut mala secludantur, sapientissimo aucto-
 ris naturæ consilio matrimonii hujus indisso-
 lubilitas sancita putanda est & constabilita
 contra eventus qualescunque demum inter
 viventes *matrimonii consummati* partes utrim-
 que fideles. Quare etiam Christus respondit
 Pharisæis apud *Matth. Cap. XIX. v. 5. & 6.*
 “ Et erunt duo in carne una. Itaque jam
 “ non sunt duo, sed una caro. Quod ergo
 “ *Deus conjunxit, homo non separet* „

Hac in causa concilii tridentini cano-
 nem VII. Ss. 24. adducere juvabit sequen-
 tibus post discussiones varias conceptum &
 promulgatum formalibus: “ Siquis dixerit,
 “ Ecclesiam errare, cum docuit & docet,
 “ *juxta evangelicam & apostolicam doctrinam*
 “ propter adulterium alterius conjugum ma-
 “ trimonii



“ *trimonii vinculum* non posse dissolvi, &
“ *utrumque*, vel etiam *innocentem*, qui
“ *causam adulterio* non dedit, non posse,
“ *altero conjuge vivente*, aliud *matrimo-*
“ *nium contrahere*, *mœcharique eum*, qui
“ *dimissa adultera aliam duxerit*, & *eam*,
“ *quæ*, dimisso *adultero*, alii nupserit, *ana-*
“ *thema* sit.

§. III.

De Polygamia.

Societas conjugal^{is} ratione spectata propriâ, veluti nempe legitimus est nexus mariti unius cum uxore una, *Monogamia* vocatur; siquæ unâ parte defunctâ, transeat ad nuptias secundas *Bigamia* obtinet.

Quæritur autem, quid de *Polygamia* sentiendum, dum videlicet societas talis tempore eodem inter plures ex una vel altera parte inicitur? — Quæstio hæc, ut resolvatur debite, notandum, quòd *Polygamia* dividatur in duas partes valde distinctas; nimirum in *Polygyniam*, quam & *Polygynœciam* nuncupant, & in *Polyandriam* sive *Polyviri-*
am. — *Polygynia* erit, dum vir unus plures simul habet uxores; *Polyandria* verò, si mulier una plures simul habeat viros. — Non idem de junctione hac utraque ferendum esse iudicium, ipsis etiam *Jurisprudentiæ naturalis* consultis principiis, oppidò liquet.



Itaque *Polyandriam* juri naturali etiam *absoluto* contrariam esse, eo quod nullo possit sine cohonestari, omnino statuendum est. Sanè, cohonestabilis non est ob finem prolis suscipiendæ, quam utpote non nisi ex uno suscipere potest mulier, & aliunde rarius suscipit juncta pluribus. Neque cohonestabilis est ex fine prolis educandæ; quia pater erit incertus, proin & naturalis tollitur amor & inclinatio prolis alendæ & educandæ, veluti in vaga libidine contingere adsolet. Insuper & secundario matrimonii fini *Polyandria* adversatur; cum enim finis iste consistat in mutuis solatiis atque subsidiis, & in recta debitæque ordinata familiæ gubernatione; hinc plura, atque inter se se sæpius pugnancia, in hac societate constituere *capita*, idem est, ac requisitum turbare ordinem, familiamque in haud levia conjicere discrimina.

Ad *Polygyniam* quod adinet, patulum est, eam *principalibus* matrimonii finibus, nempe *susceptioni* & *educationi* prolis per se haud obistere; vir enim ex pluribus uxoribus simul sibi matrimonio junctis proles procreare potest, & hæc, utpote certæ quoad patrem & matrem, debitâ educatione perfrui possunt; ex quo fit, quod genus isthoc societatis non repugnet juri naturæ *absoluto*.— Quia tamen memorati principales matrimonii fines talis intuitu societatis difficiliore quodammodo redduntur, insuper & fines *secun-*



secundarii, pax nempe societatis conjugalis, mutuum subsidium atque solatium &c.; hinc polygyniam juri naturæ *hypothetico* opponi contendimus. — Opponitur juri positivo divino: “Erunt *dua* in carne una”, Matth. XIX, 6. — & Trid. Ss. 24. de Sacr. matr. Can. II. inquit: “Siquis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege *divina* esse prohibitum; anathema sit”.

Certâ igitur datâ hypothefi dispensare potest Deus quoad *polygyniam*, quin dispenser in jure naturæ primigenio sive *absoluto*: qua ratione cum variis veteris testamenti patriarchis, peculiaribus causis moventibus, dispensasse censetur.

Porro ea solummodò in societate conjugali sunt licita, quæ nanciscendis matrimonii finibus sunt adaptata; cætera verò finibus hisce non inservientia, jure naturæ prohibentur. — Inter personas solutas jus naturæ damnat genus omne libidinis actionumque quarumcunque incastarum; utpote quæ nullo fine legitimo sunt cohonestabiles.

§. IV.

De impedimentis jure naturæ matrimonium dirimentibus.

Societas conjugalis est *pactitia*; & quia pactum speciali insignitum nomine, rationem continet contractûs; hinc & societas ista



ista *contractibus* rectè adnumeratur. Continetur igitur ea, quæ pactis & contractibus generatim adtribuuntur.

Itaque potissimum tria ad validitatem contractus matrimonialis jure naturæ requiruntur; videlicet apta *materia*, contrahentium *jus* comperens, & eorum *consensus* sub debitis *formalitatibus* sive signis expressus.

Intuitu *materiae* jure naturæ dirimitur matrimonium, si una, vel utraque pars laboret *impotentiâ* proles suscipiendi, si ea antecedens fuerit atque perpetua.

Quemadmodum in aliis contractibus, ita & in matrimoniali certa requiritur facultas ex parte contrahentium, sive *jus* comperens ineundi matrimonium vel generatim, vel relatè ad talem personam. — Sic jure hypothetico potest quis inhabilis esse ad matrimonium simpliciter ineundum, uti v. g. religiosus: potest & quis esse inhabilis jure naturæ absoluto relatè ad talem personam, veluti mater relatè ad proprium filium.

Consensus personalis utriusque partis contrahentis tantopere necessarius est ad valorem matrimonii, ut nullâ penitus aliâ utcumque eminente humanâ saltem auctoritate suppleri valeat. — Potest tamen consensus ille per singulare mandatum, neutiquam revocatum, alteri parti manifestari per procuratorem,



curatorem, & sic, consensu præstito mutuo, salvisque aliis jure requisitis, iniri matrimonium per procuratorem; id quod & in aliis pactis, contractibus & fœderibus locum habere dignoscitur.

Quidquid igitur consensum hunc tollit, id quoque matrimonii validitati obsistit. — Quare omnis ille, qui re ipsa caret *usu rationis*, veluti infans, mente captus, dormiens, plene ebrius, ex defectu consensûs pro illa differentia temporis ineptus est ad valide contrahendum. — Porro consensui obstat *error* vel *substantialis*, dum v. g. contrahenti obtruditur persona numero seu in individuo distincta ab illa, cui is suum adligavit consensum; vel etiam *accidentalis*, quando singularis deest *qualitas*, cui contrahens expresse suam adligaverat intentionem, & à qua neque in ipso actuali contractu recedit. — *Vis*, & *metus*, etsi non tollant voluntarium, speciali tamen lege obsistunt contractui matrimoniali utpote valde oneroso, atque insuper tali, qui ex indole sua mutuum amorem, animorumque propensionem postulat. — Ad vim quoque pertinet *raptus*, dum videlicet persona reluctans violenter abducta est aliò in ordine ad contrahendum matrimonium, neque tuto est reddita loco.

Conjugalis intuitu Societatis, quatenus à jure naturæ ipsa discutitur, in modum advocare quoque juvat *consanguinitatem* & adfi-



adfinitem personarum contrahentium. —
 Solet autem describi *consanguinitas*, quòd sit
connexio personarum, quatenus à communi causa
 seu procreatore & stipite descendunt. —

Itaque quilibet actus causandi determi-
 natum efficit gradum connexionis: unde hæc
 obtrinet regula: *Quot sunt gradus causandi, tot
 sunt gradus connexionis in serie causarum effi-
 cientium & effectuum*; sive, quod idem est:
*Tot sunt consanguinitatis gradus, quot sunt gene-
 rationes.*

Series personarum ab eodem stipite des-
 cendentium dicitur *Linea*; hæc si contineat
 personas, quarum una genuit alteram, *recta*
 vocatur; secus *collateralis* audit sive trans-
 versa aut obliqua. — Quod si linea *recta* nu-
 meret genitores, *ascendens*, si verò genitos
 ponderet, *descendens* nuncupatur.

Adfinitas est necessitudo inter conjugem
 unum, & inter consanguineos conjugis al-
 terius; cùm enim verus sit nexus inter ip-
 sos conjuges, consequens est, quòd & al-
 terutrius conjugis propinqui cum conjugè
 altero nexum habere censendi sint; eatenus
 quidem, ut, quo gradu quis uni conjugi est
 consanguineus, eodem gradu sit alteri ad-
 finis: quare etiam inter consanguineos mariti,
 & inter consanguineos uxoris nulla est ad-
 finitas.



Quoad gradus consanguinitatis & affinitatis Societatis conjugalis, qui vel absoluto, vel hypothetico jure naturæ eidem haud consentiunt, in modum sequentem statui posse videtur; nempe *consanguinitatis gradum primum in linea recta* ascendentium & descendentium, imò omnes *Gradus* etiam *remotiores* in eâdem *linea recta*, dein *gradum collateralalem primum*, denique *primum affinitatis gradum* magis vel minus in vim juris naturæ cum legitimo connubio posse conciliari.

Quod cum ipsa rationali natura pugnet connubium *in gradu primo consanguinitatis lineæ rectæ*, matris nempe cum filio, & Patris cum filia, ad sufficientiam innotescit ex ipso rationali instinctu naturali, fundato in sensu communi omnibus hominibus utcunque barbaris & incultis insito: nulla quippe est gens, quæ nuptias istas, ipso ducente lumine rationis, non reprobaverit, atque easdem per se se nefandas & inhonestas esse non legerit in interiore rationis dictamine; tales enim nuptiæ omni reverentiæ & honestatis sensui omnibus connato resistunt: insuper opponuntur nexui & subjectioni prolium ad parentes, quam tamen subjectionem naturales ipsæ leges constituunt, quorum proinde obligationes & officia per nefandum tale connubium eliderentur.

Præterea naturalis sive connata subjectionis prolium ad parentes, quam *in Jur. nat. priv.*
Cap.



Cap. II. §. III. stabilivimus, atque ex hac resultantia officia mutua parentum ac liberorum, cum tali connubio conciliari neutiquam possunt; alia enim sunt jura & obligationes inter parentes & liberos, & iterum alia inter conjuges, eatenus etiam, ut hæc inter sese necti haud valeant sine perturbatione maxima, aut etiam non nisi cum elisione & destructione eorum mutua,

Quocirca rectè inquit *Heineccius, Jur. nat. & gent. Lib. II. §. XXXI.* „ Quæ nuptiæ
 „ inter ascendentes & descendentes contrac-
 „ tæ cum maxima turpissimâque respectuum,
 „ qui inter has personas intercedunt, con-
 „ fusione conjunctæ sunt; ipsa recta ratio
 „ illas omnino inhonestas esse agnoscit: &
 „ eatenus *ICri Romani* non malè statuerunt,
 „ hunc esse *incestum juris gentium L. 38. §. 2.*
 „ *D. ad. leg. jul. de adult.* . . . Cum enim
 „ natura probare non possit contradictoria,
 „ tales autem verè sint obligationes uxoris
 „ & matris, patris & fratris, matris & so-
 „ roris, quæ in una persona vix consistere
 „ sine summa confusione possunt; hinc nec
 „ possunt hæ nuptiæ consistere, quibus hi
 „ respectus in una eadèmq; persona mani-
 „ festè confunduntur; veluti in nuptiis *Her-*
 „ *fili & Marullæ*, de quibus vetus epitha-
 „ phium. “

“ *Herfilius* hic jaceo; mecum *Marulla*

quiescit,
 “ Quæ soror & genitrix, quæ mihi
 sponsa fuit.



“ Vera negas, frontemque trahis, ænigmata sphyngis

“ Credis? sunt pythio vera magis tripode:

“ Me pater é nata genuit, mihi jungitur illa:

“ Sic soror & conjux, sic fuit illa parens. ”

Haud multum absimilis jurium officiorumque huc spectantium confusio enasceretur, si etiam *in remotioribus lineæ rectæ gradibus consanguinitatis* connubium contraheretur; quodli enim majores ex remotiore sibi subordinata lineâ rectâ uxores adsumerent aut maritos, persona talis subordinata, nupta v. g. avo, suo præferretur patri, utpote cujus noverca non sine respectivorum perturbacione jurium & obligationum, constitueretur. — Quantum igitur per continuatam generationum seriem de propinquitate & communione sanguinis videtur imminui, tantum reverentiæ & honoris ascendentibus majoribus debiti adcrefcit; quæ tamen his debita reverentia decrefceret, si etiam in remotiore quovis rectæ lineæ gradu connubia contraherentur: & cum mutua isthæc jura & officia suam in jure naturæ habeant sedem, consequens est, quod matrimonia in lineâ hac rectâ, cujuscunque etiam gradus jure naturæ sint irrita.



Lineam collateralem quoad consanguinitatis gradum primum, fratres nempe atque sorores, quod spectat, dubitari potest, utrum jure absoluto naturæ, num verò duntaxat hypothetico matrimonium inter personas istas locum non habeat.

Cùm universorum conditor Deus, saltem inter filios & filias protoparentis nostri Adami matrimonium subsistere, & sic primitus genus humanum propagari voluerit; hinc matrimonium istiusmodi juri naturæ absoluto non repugnat, neque ex capite juris naturalis primitivæ dici potest invalidum. — Sublato ex post hoc necessitatis jure, nulla amplius præmanibus erat ratio sufficiens inveniendi talia matrimonia, quæ alioquin rem sapiunt inordinatam. Igitur matrimonia isthæc jure naturali hypothetico vetita jure censentur. Quare *Cl. de Martini Cap. XXV. de societ. conjug. §. DCCXXII.* ait: „Cùm tamen perpetua harum personarum (fratrum & sororum) familiaritas & conversatio inhonestas consuetudines gignere posset, si sperarentur nuptiæ; sufficiens adest fundamentum, cur graviter illæ interdicanter.“

De matrimoniis *adfinium* in primo gradu *lineæ rectæ* oppidò quoque patescit, quòd earum intuitu permulta hypothetica jura & officia, ac debitus potissimum personarum respectus, turbentur. — De his dissertè loquitur *Zallinger* in modum sequentem: „Ma-



» Matrimonia inter adfines primi gradus in
 » recta linea, ceu inter vitricum & privig-
 » nam, novercam & privignum, focerum
 » & nurum, focrum & generum, ipsa quo-
 » que, si necessitas nulla extorqueat, mag-
 » nopere indecora sunt, & à sensu ac mo-
 » ribus culturarum gentium aliena. Neque
 » tamen planè repugnant naturali legi; cum
 » istiusmodi personæ rationem parentum ac
 » liberorum re ipsa non habeant, nec sine
 » fictione quadam habere censeantur. *Lib. II.*
 » *de jur. nat. soc. §. CLXXIX.*

Pro fine notamus, quòd reliqua societatis
 conjugalis officia in tres partes dividantur;
 videlicet in ea, quæ *communia* sunt conjug-
 utrique, in *peculiaria mariti*, & in *specialia*
uxoris.

Communia sunt: fides intemerata, constans
 amor, mutuam obsequium; ex horum nam-
 que observantia debitâ resultat conjugum
 ac familiæ tranquillitas, pax & concordia do-
 mæstica, & felicitas concernentium.

Officia mariti peculiaria sunt: uxorem dili-
 gere, ac dirigere; dirigere inquam, non ut
 ancillam, sed tanquam vitæ sociam. Verum
 quidem est, quòd, restante apostolo I. Cor.
 XI. 3. » Caput mulieris sicut vir. « Ast im-
 perium istud *servile* non est, quale in famulos
 & famulas herus exercet, multò minus *des-
 poticum*, imò ne *politicum* quidem, ea nempe ra-
 tio-



rione, qua in societate inæquali Princeps gubernat subditos; sed omnibus his temperatius, in mutuo nempe amore, mutuisque studiis communi rei domesticæ consulendi fundatum. Sanè, non servam, sed adjutorium simile sibi, marito dedit Deus. Tenetur porro maritus graviora domestica & alia subire negotia ac munia, uxorem atque familiam non solùm regere, sed & alere, simul atque defendere. — In figendo domicilio, uxor virum sequi tenetur, nisi specialia obsistant pacta, aut adjuncta contrarium justè determinantia. — Passim quoque inter officia mariti numerant auctores circumspeditionem, cautionemque diligentem, ne uxoris blanditiis aut tricis à constantia rectè agendi, aut ab obligatione servandi arcani suo officio adhaerentis avocetur.

Denique *specialia uxoris officia* sunt: animum mariti sibi tenere devinctum, quantum id salvâ virtute fieri potest: otium & luxum omni conatu propulsare tum à se, tum à suis liberis atque domesticis: domesticorum quoque negotiorum sollicitudinem suscipere; atque in omni pietate, concordia & amore præluce singulis, eosque ad virtutem excitare.

Quæri hoc adhuc loco potest, quid in vim juris naturæ sentiendum de *sponsalibus* matrimonio præmitti solitis? Definiri passim solent *sponsalia*, quòd sint *promissio mutua* furu



turi matrimonii. Ex quo patet, quod sponsalia veram contineant rationem pacti, simul atque requirant *jus* paciscendi, debitum *objectum*, & mutuum *consensum*; queis singulis præstitis, naturalis oritur *obligatio* datam & cum repromissione acceptatam promissionem opportune adimplendi. — Quod si pars una tamen promissionem sibi datam nudè duntaxat acceptaverit, quin suam interposuerit *repromissionem*, non tam complere vera sponsalia, quàm spatium deliberandi petere sibi que reservare censetur; ubi extunc partem promittentem devinctam tenet, quin ipsa ante repromissionem ex sua parte sit obligata ad ineundum matrimonium.

Sponsalia igitur undequaque perfecta pro foro interiore pariunt obligationem ex justitia utrimque adimplendi promissum; & pars sine competente ratione reluctans, ad contrahendas nuptias compelli potest. — Quamvis porro matrimonium sit penitus indissolubile quoad vinculum, sponsalia tamen *mutuo* sponso-
rum consensu dissolvuntur. — Si insuper post contracta sponsalia nova, gravis & probata superveniat ratio legitimè movens, promissum matrimonium non contrahendi; pars una resilire potest etiam invitâ alterâ parte: quippe si in ullo, vel maxime in hoc negotio, quod ad mutuum amorem, & ad perpetuam indissolubilémque vitæ societatem ordinatur, valere debet ratio, qua nemo promittens

C

ultra



ultra intentionem suam se se obligare voluisse censendus est. — Porro sponsalia extorta ex gravi injustoque metu nulla reputantur ex defectu juris; & sanè vis & metus amori mutuo voluntatumque propensione non leviter præjudicant, adeoque à negotio hujus generis rectè propulsantur.

CAPUT III.

De Societate parentali.

§. I.

Societatis parentalis Notio & Indoles.

Discussam capite præcedente *Societatem conjugalem* consequitur *societas parentalis*, videlicet nexus ille atque respectus mutuus, qui versatur inter parentes & liberos, insuper & inde dimanantia jura & obligationes tum parentum, tum liberorum. — Nexum hunc fundari in ipsis legibus naturæ, perspicuè deducitur ex eo, quod secùs humanæ societati, ejusdemque incremento tum physico, tum morali provisum esset minime de mediis pertingendi ad fines præstitutos: enimvero tam imbecillis est sive quoad corpus sive quoad animam conditio prolium, ut per semetipsos insufficientes sint ad necessariam debitamque partis utriusque culturam;



ram; adeoque provido auctoris naturæ consilio instituenda erat societas, in qua liberi non solum viâ generationis ederentur in lucem, sed & educarentur debitè à parentibus. Quemadmodum igitur humanæ prolis imbecillitas & indigentia amplissima est, adficitque vitam ipsam, incolumitatem, membra, totumque corpus, dein animum quoque ejusdemque facultates, denique statum hominis externum; ita & potestas ipsa parentalis & obligatio ad singula hæc tum conservanda, tum excolenda & perficienda sese ex indole sua extendit. Qua ratione status prolium moralis præcipuè excolendus sit à parentibus, observavimus supra Cap. II.

§. I. Porro potestatem & obligationem educandarum prolium non solum patrem, verum etiam matrem adficere, tenerique proles pietatem & obedientiam exhibere utrique parti, conficitur ex illo Decalogi juris naturæ strictè inhæsivo principio: *honora patrem & matrem*. Itaque, generatim loquendo, parentalis ipsa potestas & obligatio residet penes utramque partem, atque inde resultans prolium educatio debita necessarium est medium libris deducendi ad fines eisdem rectè præstitutos: veruntamen potestatis hujus exercitium modusque regiminis spectat ad partem alterutram pro natura actûs & negotii ad educationem pertinentis: id certum, quod partes præcipuæ adjudicandæ sint marito, vel maximè in casu collisionis, cum ipse sit familiæ caput. — Contingere etiam



etiam potest, ut usu & moribus regionis, aut pacto singulares quædam fiant in hac causa determinationes: veluti & jure romano potestas patria soli patri adscribitur; ut patet ex titulis *Inst. & Cod. de patria potestate*, & in *Digest. de his, qui sui vel alieni juris sunt*.

Quoniam denique omni, qui obligatur ad finem, denegari hæud debent media ad consecutionem finis apta & necessaria; hinc parentibus competit facultas, liberorum sub patria potestate constitutorum actiones regulandi, determinandique in effectus utiles & necessarios; & ne parentalis hæc potestas inanis sit & inefficax, hinc ex parte liberorum reciprocè ei correspondet obligatio parentum monitis & jussis obtemperandi. Quia verò nullum existit vinculum iniquitatis, ideò manifestum est, parentalem auctoritatem ad præceptionem illicitorum, & ad prohibitionem obligatoriorum se se minimè extendere; veluti & liberi ad amplectendum hunc præcisè vitæ statum, aut ad ineundum cum hoc determinato individuo connubium compelli nequeunt: onera quippe horum respectivè statuum liberi, non item parentes portare tenentur; & aliunde determinationes hujuscemodi non tam ab externa, quàm ab interna manuactione dependent. Nihilominus liberi in negotio tanti momenti, à quo nempe hæud rarò felicitas temporalis pendet & æterna, à parentibus docendi,

con-



consilio & operâ suffulciendi sunt. In iis etiam, quæ ad adoptandam & sectandam veram religionem pertinent, potestas parentalisis in oppositum nullum sortitur effectum; proinde parentes, qui liberos cohibent à religione vera, impingunt in jus naturæ atque divinum.

§. II.

Potestatis parentalisis Origo.

Parentalisis origo potestatis, sive ratio ejus fundamentalis & prima, ex qua nempe originariè distillant jura & obligationes in societate parentalisi, hoc loco discutienda venit & definienda. In jure naturæ privato Cap. II. §. III. pag. 57 notavimus, quòd subordinatio prolium ad parentes non sit arbitraria & hypothetica, sed connata: unde & fit, societatem parentalem *ex indole sua* inæqualem esse atque rectoriam.

Quæritur igitur nunc, quænam, adtentis visceribus causæ, sit ratio immediata parentalisis hujus potestatis? — Unum & maximum recognoscimus omnes patrem omnipotentem Deum: ratio prima subjectionis nostræ erga eundem figitur in eo, quòd totum id, quod sumus, quod accepimus, quòdque percepturi sumus bonum *ab ejusdem omnipotentia, bonitate ac providentia* in nos derivetur. Creator idem ipse est, conservator ac præfinitor, qui & bonorum omnium



tributor. Jure igitur meritissimo causam hanc primam independentem & infinitam, à qua, beneficio creationis, immortalem animam nostram, insuper & prima corporis nostri stamina suscepimus, patrem nostrum agnoscimus & veneramur.

Providus iste naturæ auctor secundas etiam nostræ existentiae causas, nostros nempe parentes, instituit, qui conjugali fœdere juncti, nos ederent in lucem, genitosque rali educatione dotarent, quæ finibus nobis à Deo præstitutis penitus esset adtemperata.

Adtentâ igitur æternâ & sapientissimâ auctoris naturæ dispositione *parentes nostri sunt medium adcommodatam & necessarium nostræ productionis, educationis & directionis ad fines consequendæ felicitatis temporalis & æternæ.*

Hæc igitur medii ratio à summa Dei voluntate constituta, & nostris in parentibus conquiescens, meo quidem arbitrio, pro parentalis origine potestatis rectè statuitur; cum enim causam illam primam & infinitam, à qua conservationem & præfinitionem participavimus, jure debitissimo patrem agnoscamus, ejusdemque adoremus potestatem; meritò quoque parentalem potestatem in causis illis secundis collocamus & veneramur, per quas productio nostra & educatio, simul atque directio debita ad felicitatem utramque in nos transfunditur.



Varii juris 'naturæ' consulti circa principium potestatis parentalis sensu foverunt varia, quorum nonnulla hoc loco adducere juvabit.

Cl. de Martini Cap. XXVI. §. 728. & 729. hac super re in modum differit sequentem:
" Nascitur potestas parentalis ex obligatio-
" ne educandi; hæc autem à natura iis est
" imposita qui libros genuerunt: igitur hoc
" sensu *Grotius* non ineptè parentum jus in
" liberos à *generatione*, scilicet ut à funda-
" mento mediato, derivavit. — Non au-
" tem opus est cum *Puffendorfio* recurrere
" ad socialitatem, vel ad pactum præsum-
" tum cum liberis; nam socialitas jus edu-
" candi omnibus tribueret, & pactum præ-
" sumtum sola fictione nititur. Absurde au-
" tem scribit *Hobbesius* filium matris esse jure
" *occupationis* eâ lege factæ, ut filius non
" evaderet hostis, sed obediret; nec enim
" liberi res nullius sunt, sed juribus sibi co-
" natis fruuntur. „

Inter protestantes circa objectum prætac-
tum inter alia statuit sequentia *Heineccius* lib.
II. Jur. nat. & gent. § LIII. " Parentum
" potestas ex fine æstimanda est, adeoque est
" jus parentibus competens ea omnia agen-
" di, sine quibus liberorum actiones ad ob-
" tinendum hujus societatis finem dirigi
" non possent. . . . Faceffere ergo jube-
" mus *Hobbesium*; hanc potestatem ex oc-
" cupa-



“ cupatione derivantem. Nec Puffendorfius
 “ satisfacit, qui eam partim ex vitæ socia-
 “ lis natura, partim ex præsumto libero-
 “ rum consensu explicare voluit. „

Tandem *Gribner* Lib. I. Cap. IX. nro III. de
 origine potestatis parentalis ita loquitur: “ Ori-
 “ ginem ac fundamentum hujus potestatis,
 “ quod in jure victoriæ *Hobbesius*, in con-
 “ cessione divina *Hornius*, in alimentatione
 “ & præsumto consensu liberorum *Puffen-*
 “ *dorfius*, plerique, *Grotium* secuti, in ge-
 “ neratione collocant, ex necessaria libero-
 “ rum educatione repetimus, quam sicuti
 “ Deus parentibus injunxit, ita simul in li-
 “ beros potestatem, sine qua hæc fieri non
 “ poterat, iisdem concessit. „

§. III.

De Officiis Parentum & Liberorum in specie.

Parentalis potestatis ex fonte ædificato ad-
 huc diffluunt varia tum parentum tum libe-
 rorum officia. — Cùm in effectum juris
 naturæ teneatur quilibet se se conservare &
 perficere sive quoad corporalia, sive quoad
 spiritualia bona, id verò liberi multo tem-
 pore præstare nequeant per semetipsos;
 hinc exercitium istud subsidiario modo à na-
 tura impositum est parentibus. — *Parentes*
 itaque tenentur providere liberis de victu &
 vesti-




vestitu, atque de concernentibus quibusque aliis vitæ honestè transigendæ subsidiis & necessitatibus. — Tenentur insuper curare, ut liberi talibus imbuantur notitiis & qualitatibus, ut pro conditione status alere se se valeant aliosque adpertinentes, veluti parentes decrepitos, atque propriam, quam naturi sunt familiam. Unde parentes ex industria, & omni seclusa prodigalitate tenentur procurare, conservare & relinquere liberis bona fortunæ in hos fines necessaria. — Tenentur præterea spirituales liberorum perficere facultates, intellectum nempe atque voluntatem. — Denique tenentur vel maxime providere liberis de mediis ad comparandam felicitatem æternam necessariis utilisque, veram speciatim ipsis implantando & in iis conservando religionem, singula quævis amputando ac longius propulsando, quæ huic inimica sunt bono inæstimabili: aliis porro virtutibus liberos excolere omni studio & conatu tenentur parentes, & quidem non solum instruendo, hortando, puniendo &c.; verum etiam bonis exemplis prælucendo, trahendo. — Facile ex his colligitur, quid sentiendum de perditis parentibus illis, qui verbis aut factis alliciunt liberos ad luxum, ad contemptum religionis, aut eosdem exponunt periculis aut locis, in quibus vera religio labefactari facile potest; item ad varia nefanda alia, veluti ad luxuriam, ad injustitiam &c. &c. eosdem veluti manuducendo, aut de eorum impietatibus



ribus gloriando, congaudendo: tales parentes impios graviter & reprehendit S. Scriptura dicens: " Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis: ne credas vitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum; melior enim est unus timens Deum, quàm mille filii impii; & utile magis est mori sine filiis, quam relinquere filios impios. „ Eccl. XVI. v. 1. seq.


Quoad distinctionem graduum crescentis ætatis, quatenus illi à jure naturæ computantur, inter doctores alios distinctius loquitur *Zallinger* in modum sequentem:

" Parentum potestas in liberos velut
 " subsidiaria est, atque ad supplendam
 " impotentiam & imbecillitatem teneræ
 " ætatis per naturam instituta; idcirco
 " rectè ætatis paulatim crescentis gra-
 " dus distinguuntur. *Naturaliter impube-*
 " *res* vocantur, qui per ætatem nec de
 " alimentis sibi met prospicere, neque
 " suas ipsi actiones ad vitæ conserva-
 " tionem, perfectionem ac beatitatem
 " regere satis possunt. *Naturaliter mi-*
 " *nores*, qui quidem se actionesque suas
 " regere, non tamen providere sibi de
 " alimentis, vel bona sua ac res curare
 " rectèque administrare norunt. Qui
 " vero, ut suo judicio utrumque agant,
 " satis idonei sunt, censentur *natura-*
 " *liter*



“ *liter majorennis*, eoque tempore libe-
“ *ri velut naturaliter emancipantur*, seu
“ *è parentali potestate dimittuntur.* „
Lib. II. jur. soc. §. CLXXXV.

Emancipatio hæc naturalis eo tamen mi-
nimè venit intelligenda sensu, quòd per eam
liberi in omnem effectum à parentali potes-
tate dimittantur; vinculum quippe inter pa-
rentes & liberos indissolubile est, adeoque
jura complectitur plurima & obligationes
inalterabiles. — Tenentur igitur liberi qui-
cunque, in quocunque etiam statu constitu-
ti, parentibus impendere reverentiam, pie-
tatem, amorem, gratitudinem, timorem
filialem, obsequium atque subsidium: imò
liberorum ætate progrediente, & parentum
ætate ita ingravescente, ut quasi in pueri-
tiam recidant, aliisque succumbant infirmi-
tatibus, liberi velut mutatis vicibus instar
parentum parentes suos alere, eorum sub-
levare defectus, atque tam patienter ac re-
verenter eos supportare & confovere tenen-
tur, ut ultimæ ætatis molestias omni amo-
ris atque officiorum genere demulceant; id
quod etiam S. Scriptura inculcat sequenti-
bus verbis: “ Fili suscipe senectam patris
“ tui, & non contristes eum in vita illius;
“ & si defecerit sensu, veniam da, & ne
“ spernas eum in virtute tua; eleemosina
“ enim patris non erit in oblivione. *Eccl.*
“ III. 14. 15. — Item: “honora patrem tuum,
“ & gemitus matris tuæ non obliviscaris.
“ Me-



“ Memento quoniam, nisi per illos, natus
 “ non fuisses; & retribue illis, quomodo &
 “ illi tibi. „ *ibid.* VII. 29. 30.

§. IV.

Determinantur Limites Potestatis parentalis.

Societatem parentalem esse inæqualem, adeoque determinatam in ea subsistere potestatem & subordinationem, conficitur à principiis hucusque stabilitis. Genus illud imperii quantumvis ad propriam potestatem legislativam non adsurgat, ad tamen in concernentes effectus & objecta per quandam saltem analogiam censeri potest rectorium, inspectorium & executorium. Profectò, cum parentibus incumbat jus & obligatio liberorum actiones determinandi, & sic felicitatem eorum temporalem & æternam procurandi; hinc & consequens est, quòd liberos ad competentes fines dirigendi, eorum actiones inspiciendi & mensurandi, atque ad requiritos effectus deducendi potestate gaudere debeant. — Minimè tamen inde consequitur, parentibus competere jus vitæ & necis in liberos suos: id quippe in ipsa imperii notione non involvitur; & aliunde absonum videtur, tam grave vindictæ pœnæque genus in sua quasi, suorum nempe propriorum liberorum, viscera exercere: unde & in L. V. sancitum legimus: “ Si genuerit
 “ homo



“ homo filium contumacem & protervum,
“ qui non audiat patris aut matris imperium,
“ & coercitus obedire contemserit; apprehendunt eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: filius noster ille protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, commestationibus vacat & luxuriæ atque conviviis. Lapidibus eum obruet populus civitatis; & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israel audiens pertimescat. „ *Deut. XXI. à v. 18.* — Et Imperatores *Valentinianus & Valens* ita statuunt: “ Neque tamen nos in puniendis minorum vitiis potestatem in immensum extendi volumus; sed jure patrio auctoritas corrigat propinqui juvenis erratum, & privata animadversione com-pescat. Quodsi atrocitas facti jus domesticæ emendationis excedat, placet enormis delicti reos dedi judicium notioni. „
L. un. C. de emendatione propinquorum.

Cùm parentes imperium quidem, jus atque potestatem, minimè autem dominium proprietatis habeant in liberos, consequens est, quòd nullà polleant facultate proles suas vendendi, oppignorandi, aut in servitutem redigendi. Quia tamen inter duo mala, quorum unum necessariò suscipiendum, eligendum est minus; hinc mediante jure necessitatis licet alienare liberos, dum eorum vita cum ipsorum libertate colliditur: satius est namque libertate privari, quàm vitâ.



Quamvis jus gladii in liberos jus naturæ parentibus deneger; concedit nihilominus ipsis media alia adtemperata satis & efficacia continendi in officio liberos, eosdémque ad bonum excitandi, & à malo avertendi. Solicitè cavere debent parentes, ne cum altero *Heli* filios etiam gravissimè delinquentes mancis duntaxat frigidisque convenient monitiunculis, maximam idcirco Deo rationem reddituri; sed delicta castiganda sunt ferio & efficaciter, natique ac natæ ab omni perversionis ac perditionis occasione atque periculo sunt elongandi. — Isthoc circa objectum præclare inquit *Heineccius*: “ Præcipuè juven-
 “ tis animum pervertit consuetudo cum præ-
 “ vis hominibus: adeoque nihil majore cu-
 “ râ ac sollicitudine cavere decet parentes,
 “ quàm ne liberi sibi malos sodales inve-
 “ niant, sed paribus & bene educatis collu-
 “ dere malint; cùm enim ad imitationem
 “ naturâ proclives sint tenelli eorum animi.....
 “ experientia docet, tanto facilius pueros
 “ adolescentésque abripi in quævis præci-
 “ pitia, quanto minus adultores & parasi-
 “ tos ab amicis, corruptores à bonis ma-
 “ gistris, instigationes ad vitia à salubriori-
 “ bus præceptis possunt discernere „ *Jur.*
Nat. & gent. Lib. II. §. LXVI.

Denique non semper cum morte paren-
 tum expirat potestas patria relatè ad libe-
 ros educatione adhuc indigentes: igitur illa
 in alios transferri potest & deber, qui cu-
 ram



ram liberorum educandorum gerant. Istius generis tutores, eorum curæ commissi, pupilli vocantur.

Cùm igitur tutores subintrent in vestigia parentum, consequitur, quòd & pupilli tutoribus debita teneantur exhibere officia. Tutores porro in jura parentum succedunt; illud si excipias, quòd alienare bona cum damno pupilli nequeant, teneanturque ad damnum suâ culpâ datum resarciendum; administratores enim, non domini sunt bonorum istorum.

CAPUT IV.

De societate herili.

§. I.

Societatis herilis notio & origo.

Solâ adrentâ naturâ homines universos (subordinationem liberorum ad parentes si exceperis) esse æquales sæpe monuimus. Confectarium est, quod & societas herilis, ejusdemque jura & officia proficiscantur immediatius ex pacto tacito vel expresso. Igitur herile imperium, famulorum & ancillarum obsequium, omnis demum ratio servitutis ex tali fonte dimanant.



In societate humana alter alterius sæpe sæpius indiget auxilio, ut sibi de rebus ad conservationem, suique statûs perfectionem utilibus atque necessariis valeat providere; quin tamen jure gaudeat *perfecto* auxilium istud exigendi, aut quin ex parte alterâ sit obligatio *perfecta* idipsum præstandi.

Conveniens itaque fuit atque necessarium, ut intervenientibus pactis jura illa imperfecta & imperfectæ obligationes transirent ad perfecta, & perfecta proinde generarent officia mutua, ut sic hominum indigentia debita ratione sublevarentur. Indiget profectò unus alterius operâ, quæ utique æstimabilis est pretio; indiget alius alterius pecuniâ, victu &c.; quæ tamen acquirere nequit sine elocatione suæ operæ: ut ergo parti utrique provisum sit debitè, societas initur herilis, vi cujus herus pretium, famulus operam ex inito pacto præstare tenetur jure & obligatione perfectâ: atque hæc est genuina societatis herilis notio; quæ libertatem quidem naturalem quodammodo restringit, non tamen adimit. — Sanè, genus illud servitutis, vi cujus homines naturâ nobis æquales sine prævio delicto commensurato, contra voluntatem suam protestate aut potius vi despoticâ efficiuntur mancipia, à vero juris naturæ spiritu alienissimum est, ac libertati naturali omnino repugnans.



Dividunt nihilominus authores servitutem in *ultroneam*, quæ initur omnino spontaneè; & in *coactam*, quæ occasione belli, aut diræ necessitatis suscepta est: item in *perpetuam*, & *intemporariam*: Denique in *limitatam* quoad operas duntaxat aliquas præstandas, & in *illimitatam*, vi cujus operæ omnes & perpetuo exhibendæ sunt, quam & servitutem strictam & *obnoxiam* vocant. — Nullam tamen admittimus servitutem originariam, vi cujus partus hominis esset fructus rei.

§. II.

De officiis herorum & famulorum.

Cùm officia isthæc immediatè diffluent ex pacto liberè utrimque constituto, consequens est, quòd & tota eorum mensura à natura & qualitate pacti istius determinetur.

Generatim loquendo herus & hera famulis & ancillis sive quoad victum, sive quoad vestitum, sive quoad mercedem ea omnia fideliter impendere tenentur, circa quæ mutua constabilita fuit conventio. — Quoniam porro famuli & ancillæ homines sunt, ejusdem humanæ naturæ participes; hinc ab heris humano quoque modo tractandi, non autem durâ servitute premendi sunt: iis porro, tanquam domûs & familiæ sociis, specialis favor impendendus & amor. — Quàm exigua & frigida quæso! eorum est



charitas dominorum & dominarum, qui famulos & famulas in fideli domûs servitio in morbum incidentes foras statim pellunt, atque in miserrimum sæpe statum conjiciunt! — Tenentur insuper vel maximè heri & heræ conservare & promovere bonum animæ creditorum sibi servorum & ancillarum: diligentissimè invigilandum, ut à noxiis retrahantur occasionibus & locietatibus, utque debitam nanciscantur instructionem in iis, quæ ad æternam necessaria sunt felicitatem; atque ut religionis officia debite expleant.

Denique servi & ancillæ inobedientes, refractarii, quique suis respectivè officiis defuncti, competentibus mediis corrigendi sunt & compellendi, ut contractis ex omni parte satisfaciant obligationibus. Fugitivos etiam licet persequi, & contra eos, qui cum meo damno famulum fortè corruerunt & à me avocaverunt, passi damni exigere reparationem. Et quia è contra læsio, quam superior infert inferiori, *gravamen* nuncupatur; hinc etiam servus jure gaudet exigendi à domino, ut *gravamen* tollat è medio; quo non sublato & intolerabili facto, servus domino excedere potest.

Generalia famulorum & ancillarum officia figuntur in eo, quòd fideliter & exactè singulas exhibeant operas, ad quas se se in vim initi pacti tacitè vel expressè obligarunt. Hæc autem obligatio, utpote perfecto im-



mediate juri correspondens, est perfecta: unde si fuerit læsa, damnùmque illatum domino, subintrat obligatio causatum reparandi damnum. Speciatim adhuc obligantur domestici, servi & ancillæ patribus ac matribus familias præstare obedientiam, quæ tamen uti in aliis, ita & his nunquam extenditur ad ponendas omittendasve actiones illicitas. Tenentur insuper, causâ competente in contrarium non interveniente, ante tempus in pacto definitum, famulatum non deserere; & quemadmodum incumbit dominis regere servos cum discretione & humanitate, ita & servorum est, cum reverentia & amore suis obviandi præpositis. — Monet etiam Apostolus in sua epistola ad Titum Cap. II. 9. 10. ut hortetur, “ Servos
“ dominis suis subditos esse, in omnibus
“ placentes non contradicentes, non frau-
“ dantes, sed in omnibus fidem bonam osten-
“ dentes; ut doctrinam salvatoris nostri Dei
“ ornent in omnibus. ” Subditi etiam esse debent ex jure naturæ atque fideles quicunque famulantes non solum propter iram, id est, propter infligendas suis ab heris in defectu commisso pœnas; sed vel maximè propter conscientiam, actiones nempe suas à rectis interni fori conscientiæ legibus dimittendo.

Conficitur è principiis hucusque stabilitis, quòd societas herilis sit *inequalis*; competit namque dominis imperium servorum actio-



nes determinandi. Insuper societas ista *partialis* est, adeoque ad status pertinet *adventitios*.

Circa *finem* societatis hujus Cl. Zallinger statuit sequentia: " Finis hujus societatis est
 " utilitas & commodum heri; etsi enim ser-
 " vi quoque ac famuli alimenta vel merce-
 " dem obtineant; tamen ipsa societas ac
 " operæ servarum eum finem non habent;
 " estque id inter imperium herile in familia,
 " & imperium Principis in civitate memo-
 " rabile & gravissimi momenti discrimen:
 " Herus præcepta servis dat in suum ac fa-
 " miliaë commodum; imperans civiles leges
 " fert communitati in bonum communitatis,
 " id est, in commodum eorum, quibus im-
 " perat. Alius ergo patrifamilias ac heri,
 " alius imperanti propositus est finis: offi-
 " cium principis est, non suum, sed subdi-
 " torum jura atque utilitates tueri ac pro-
 " vehere; officium heri non est, ut in alio-
 " rum commodum agat; si quid facit quæ
 " maritus & quæ parens, id in suum agere
 " commodum censetur: similiter uxor ac
 " liberi suum commodum spectant, quod à
 " re mariti, aut parentum commodis sejun-
 " gi non potest. At omnia, quæ à servis
 " præstanda sunt, non ipsorum commodis,
 " sed heri, patrifamilias, uxoris & libero-
 " rum cedunt „ *Lib. II. Jur. nat. social. Cap.*
 " *IV. §. CXC.*



CAPUT V.

*De Societate familie five domus,
& de jure successiois.*

§. I.

De natura & fine societatis familie.

Tres in præcedentibus Societates perlustravimus, singularum naturam, finem, jura, & obligationes expendendo. Tres istæ societates, *conjugalis* nempe, *parentalis* & *herilis*, confluere possunt in societatem unam mixtam five compositam 1. ex conjugibus, 2. ex parentibus & liberis, 3. ex dominis & servis. — Societas hujusmodi vocari adsolet *Societas domus* five *familie*, quia integrum constituit familie cœtum. — Quod si tres præmemorate societates simul concurrant in unam, societas familie *completa* habetur; si verò aut conjugalis & parentalis sola, aut conjugalis duntaxat cum herili, dum nempe nulli existunt liberi, aut parentalis sola cum herili, ob unius conjugis mortem, in domo inveniantur, erit societas composita familie incompleta.

Quælibet societas suis gaudet juribus, obligationibus & sine. Jura & obligationes societatis familie in hanc transeunt ex juribus & obligationibus societatum illarum, ex qui-



quibus componitur. Dum insuper plures simpliciores societates coalescunt in unam compositam, simplicium leges non cessant. Quoniam tamen societas familiae tanquam una, eademque distincta concipienda venit; hinc & peculiari suo fine gaudet. Finis iste consistit in communi familiae felicitate, ad quem proinde scopum adsequendum concurrere debent singuli societatem hanc componentes.

§. II.

De officiis societatis familiae.

Uti personae, ita & jura & obligationes societatis domesticae sunt diversae: unde quilibet pro ratione conditionis statusque sui ad promovendam communem societatis felicitatem contribuere tenetur.

Societas porro domestica sive familiae est inaequalis & rectoria; quia in ea reperiuntur capita imperantia subjectis; videlicet pater & materfamilias relate ad universa familiae membra. His ergo subjecti sunt filii & filiae familias, domestici & famulantes quicunque — Liberi in servos per se se nullam habent potestatem: haec tamen a parentibus ipsis delegari potest, maxime in eos, quos ad servitia sua propria habent destinatos.

Verbis profecto gravissimis officia capitum familiae proponit & urget *Doctor gentium*:
 "Si-



“ Siquis suorum, & maximè domesticorum
“ curam non habet, fidem negavit, & est
“ infideli deterior „ *I. Tim. V. 8.*

Cura hæc veluti in societatis præmemo-
ratis aliis, ita & in hac adficere debet felici-
tatem tum temporalem, tum æternam fa-
miliæ. — Cæterum rectè inquit Cl. de Mar-
tini “ Mutua patris - ac matrisfamilias inter
“ se officia ex salute rei familiaris determi-
“ nari debent: quare peccant familiæ capita,
“ si alter alterius auctoritatem imminuat, si
“ educationi liberorum, aut servorum cor-
“ rectioni sive incuriâ, sive malo exemplo
“ injiciat impedimentum, si denique crude-
“ litatem liberorum in servos, aut servorum
“ nequitiam, quæ liberorum mores corrup-
“ punt, impunem esse patientur „ *De Soc.
Cap. XXVIII. §. DCCLXXXI.*

§. III.

*De Jure Successionis, Notione &
Effectu Testamenti.*

Discussio juris succedendi in bona fortunæ
aut *per testamentum*, aut *ab intestato*, oppor-
tunum habet locum sedemque competentem
in jure sociali; postquam nempe societatis
familiæ notionem, proprietates & consecra-
ria expendimus.



Duplex illud succedendi genus igitur eatenus hoc loco examinandum, quatenus attenditur, quid præcisè in vim juris naturæ isthac in materia justum sit aut injustum; reliquis juris positivi constitutionibus ad sua loca remissis.

Quilibet plenum habens proprietatis dominium, de re sua disponere potest; eam proinde polliceri potest alteri tam in præsens, quàm in futurum, tam sine, quàm cum conditione. Sub ratione expressæ declarationis, qua dominus per conditionem *mortis* ex una, atque per conditionem non *revocatæ voluntatis* ex altera parte, bonorum suorum hæredem instituit, passim intelligitur *Testamentum*.

Puffendorfius in *Jur. Nat. & Gent. Lib. IV. Cap. X. §. 3.* definit testamentum, seu ultimam voluntatem, quòd sit “ Declaratio voluntatis nostræ circa successores in bona nostra post mortem nostram; quæ tamen ante mortem nostram pro lubitu nostro sit mutabilis & revocabilis, & ex qua aliis demum ab excessu nostro jus nascatur. ”

Testamentum igitur ex indole sua mutabile est sive ambulatorium usque ad supremum vitæ excessum sive exitum; eatenus quidem, ut nullum jus in re, nullum quoque quæsitum in hæredem transferat vivent-



te adhuc testatore: qui proin semper illud mutare, penitus rescindere, novum condere, aut, si velit, ab intestato decedere potest, quin hæres semel in testamento scriptus, eum de injuria convenire valeat.

Rem hanc expendit *Heineccius* sequentibus verbis: " Testamentum ex conceptu juris consulum est sollemnis declaratio voluntatis de universa hæreditate, omnique jure, quod testator tempore mortis habiturus est, post ejus mortem in alium transiuro: ideoque vivo testatore nihil juris in hæredem transit, imò ne spes quidem tam certa, ut ea decollari non possit; sed testatori, dum anima est, prius consilium damnare, rescissisque ac ruptis prioribus tabulis, vel novas facere, vel intestato decedere licet. Hinc notissima juris axiomata: voluntatem hominis esse ambulatorem usque ad mortem: ultimas tantum ceras ratas esse debere, quæ morte firmantur: vel, uti *Quintil Decl. CCCVIII.* loquitur: illud tantum valere testamentum, post quod nullum testamentum sit. „
J. N. & G. Lib. I. Cap. XI. §. CCLXXXVI.

§. IV.

Quo jure Testamentum transferat hæreditatis dominium.

Testamenta firmari per mortem testatoris, asseritur univèrsim: verùm haud exigua est



rum illorum dominus constituatur: adeoque ratio adlata nihil determinat. Dein constat ex prioribus, nullum penitus, proinde ne *conditionatum* quidem jus hæredi competere ante mortem testatoris; per consequens neque ex hoc evinci quidquam potest.

Cæterum ad hunc quæstionis statum debite illustrandum *Cl. Zallinger* rectè statuit & distinguit sequentia: “ Fieri potest, ut moriens
 “ de rebus suis disponat per actum *inter vivos*,
 “ qui actus firmitatem habet ante mortem,
 “ etsi fortè traditio differatur usque ad eventum
 “ mortis: est hæc *dispositio morientis*, à
 “ qua plurimum differt *dispositio mortis causæ*,
 “ uti sunt testamentum proprie dictum, *co-*
 “ dicillus, substitutio, legatum, donatio mor-
 “ tis causæ. Hæc enim, quamdiu nomen suum
 “ & naturam ultimæ voluntatis habent, ni-
 “ hil juris transferunt in hæredem, vel lega-
 “ tarium, aut donatarium, sed revocabilia
 “ sunt liberrimè, ita, ut non modò traditio,
 “ sed etiam perfectio actûs suspensa usque ad
 “ mortem debeat intelligi. „ Lib. I. J. N.
 priv. cap. XIV. §. CXIX.

His præmissis facile largimur translationem dominii per testamentum remotiore hac ratione in natura fundari, ut æquitati naturali omnino consonum sit, relictarum à testatore dominia rerum transferri ad eum, quem ipse, cum viveret, suorumque adhuc dominus esset



bonorum, suum in bonis successorem, sive eorum hæredem voluit atque designavit.

Verùm de causa *immediate* translativa domini quoad præsens resolvimus, quòd ultima voluntas quæcunque vim & efficaciam transferendi dominia rerum non habeat à naturali, sed positivâ lege humanâ; cùm enim ad transferenda dominia in vim juris naturalis absolutè requiratur & *voluntas*, & *potestas* transferentis pro illo temporis puncto, quo fit alienatio, cùmque testator vivens non habeat voluntatem pro hujus vitæ tempore sua bona transferendi & alienandi, & mortuus idipsum præstandi non habeat potestatem, consequens est, quod translatio isthæc per legem naturalem non perficiatur.

Quare etiam Heineccius in rem hanc ita personat: “ Enimvero hujusmodi testamen-
“ tum non esse juris naturæ, facile unusquis-
“ que intelligit; quamvis enim solemnitates
“ actui tam serio, totque exposito hominum
“ fraudibus adhiberi facile patiatur recta ra-
“ tio: contradictionem tamen implicare vi-
“ detur, hominem aliquid velle in illud tem-
“ pus, quo velle (*in hunc effectum temporalem*)
“ non possit, & dominium rerum suarum
“ tum demum in alium translatum cupere,
“ quando ipse non amplius earum sit domi-
“ nus: quod sanè tam à recta ratione alie-
“ num est, ut ipsi Romani non nisi meris
“ fictionibus tantam contradictionem tolli
“ pos-



“ posse faterentur. . . . Hinc fingebant
 “ idem esse momentum testamentifactionis
 “ cum momento mortis: idem quoque esse
 “ momentum mortis cum momento aditio-
 “ nis, quippe quod per fictionem ad mo-
 “ mentum illud mortis retrotrahebant. »
 J. N. & G. C. XI. §. CCLXXXVII.

Ex his tamen non nisi perperam & inepte quis inferret: ergo hæreditatem devolvere in manus hæredis instituti à nudo pendet particularium imperantium arbitrio. Nam præter id, quòd in hanc rem naturalis intret æquitas, sanctissimæ quoque ac sanctissimæ sanctiones universales suffulciunt hæredes debite institutos, quibus proinde, non item aliis, relicta hæreditas tradenda est.

§. V.

De Successione ab intestato.

Utrum successio ab intestato, ea nimirum, quæ sine expressa dispositione defuncti eodem obtinet, potiolem in jure naturæ sedem habeat, quàm testamentaria, nova quoad præsens oritur quæstio. Singularem parentibus vi juris naturæ impositam esse curam liberorum, & liberis vicissim erga parentes, etiam in rebus ad vitæ sustentationem necessariis & utilibus, sæpe notavimus. Idem ipsum sensu magis temperato extendi certè



ratione potest ad propinquos sive descendentes, sive ascendentes, sive collaterales.

Jus quæsitum in bona parentum competere liberis passim admittitur: num verò jus illud in natura quoque fundatum sit, dubitatur à nonnullis. Resolvendum tamen omnino videtur, quòd providus naturæ auctor, qui fœdus percussit indissolubile inter parentes & liberos, ac mutua utrimque jura sancivit obligationesque, jus illud quæsitum quoque fundaverit, utpote sine quo tum parentum, tum liberorum debitè haud posset provideri indigentiae, ipsis nempe adtentis naturæ legibus. Quemadmodum igitur amor in parentes, liberos, atque propinquiores naturalis est; ita & amoris istius effectus, provisio nimirum de mediis ad honestam vitæ transactionem necessariis & competentibus, naturalis esse videtur.

Quoad personas ab intestato succedentes & ordinem huc spectantem generatim habenda est ratio lineæ rectæ descendentium, lineæ rectæ ascendentium & lineæ collateralis: statuitur nempe passim, quod defunctis parentibus meritò succedant filii & filiae, & quidem in *capita*, portione nimirum æquali; quia eadem pro omnibus *naturæ* obtinet ratio. — Quodsi ante patrem aut matrem moriatur filius aut filia prolem relinquens, horum jus hæreditarium ad sobolem transmittitur, utpote quæ defunctum patrem aut ma-



matrem *repræsentat*, atque hoc repræsentationis jure succedit avo vel aviaë in partem; quam obtinuissent parentes, sive in *stirpes*. — Descendentes si nulli existant, hæreditas devolvitur ad ascendentes pro ratione propinquitatis; & si desint etiam ascendentes; collateralibus pro ratione ordinata graduum tribuitur locus. — Generatim igitur cognati à successione ab intestato excludunt extraneos; & ex cognatis propinquiores præferendi sunt remotionibus: æquales denique, sive ejusdem gradus & lineæ, simul & æqualiter ad hæreditatem sunt vocandi.

Hæc de quatuor societatibus minoribus dicta & stabilita, sufficientia sunt.

